



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Patracensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Dominicam qua cantatur. *Quasi modo geniti*, quo sufficienter instructæ vel per se vel per procuratores legitimos nostro se conspectui præsentarent. Parte quidem dictorum Abbatis & Conventus se nobis cum litteris iudicium secundorum & attestationibus & objectionibus mutuis eodem termino præsentante, ac eisdem dilecto filio nostro G. sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinale à nobis auditore concessio, cum pars alia nec venerit nec aliquem pro se miserit diutius expectata, nos volentes partium laboribus parcere ac expensis, visis omnibus scriptis & diligentius intellectis, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus ad ea quæ tam à prioribus quam secundis iudicibus acta sunt non habens respectum, indicans partibus ut infra quindecim dies utraque tibi collegam assignet virum idoneum & honestum, cum quo, appellatione remota, iustitia mediante, nec obstante fori exceptione superius memorata, in causa procedas, & si utraque vel altera noluerit tibi assignare collegam, tu nihilominus sine utroque vel cum altero tantum mandatum apostolicum exequaris; idem facturum, si uterque vel alter noluerit interesse. Datum ut in alia.

NOBILI VIRO MAIONI COMITI
Insularum Kephalonie ac Iacinti.

Epist. 127.
Intelligitur ut
pulle eligere
Confessorum.

Quoniam illius locum, licet immeriti, tenemus in terris qui cum nolit mortem peccatoris, sed potius ut convertatur & vivat, post penitentias delinquentium peccata dissimulat correctorum, & tanto penitentibus & conversis plenioris suæ gratiæ munus impendit quanto majus gaudium est Deo & angelis ejus super uno peccatore penitentiam agente quam supra nonaginta novem justos qui se credunt penitentia beneficio non egere, exultavimus plurimum & delectati sumus in his quæ de tua devotione ad nostram notitiam devenerunt. Sicut enim apostolatus nostro per tuas litteras humiliter intimasti, licet hætenus quasi piraticam vitam ducens, multa commiseris in tuæ salutis dispendium & injuriam creatoris, nunc tamen conditionem tuæ fragilitatis agnoscentes, veniam postulas de commissis, & ut tanquam posteriorum oblitus, ad anteriora te sollicitus & devotus extendas, offensas præteritas novæ satagis conversationis studio compensare, ad obsequium Iesu Christi ac subsidium terræ sanctæ totis viribus elaborans. Propter quod al-

Tom. II.

tissimo grates referimus quas valeamus, qui te tam misericorditer ex alto respexit, ut & de præteritis excessibus doleas, & in operibus meritoris te studeas exercere, propositum tuum eo amplius in Domino commendantes quod sollicitus ad utiliora te erigas, & tam temetipsum quam terram tuam sedis apostolicæ potestati cum fervore omnimodæ devotionis exponis. Ut igitur desiderij tui votum sine feliciori claudatur, nobilitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus alicui discreto sacerdoti universa peccata tua humili confessione reveles, & ab ipso penitentiam recipiens salutarem, juxta posse tuum satisfactionem exequi studeas quam tibi duxerit injungendam. Nos enim reddentes te de gratia nostra securum, benedictionis nostræ te clypeo communimus; sperantes quod si in assumpto devotionis proposito perduraveris, præter cælestis retributionis commodum quod acquires, etiam in bonis temporalibus non modica suscipies incrementa. Datum Viterbij XVII. Kal. Octobris, anno decimo.

ARCHIEPISCOPO PATRACENSI.

Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod in insula Iacinto, quæ ad dilecti filij nobilis viri Maionis Comitum Kephalonie pertinet ditionem, quidam Episcopus Græcus non solum sedi apostolicæ inobediens & rebellis existit, ejus dispositionibus omnino parere contemnens, verum etiam vitam ducit in multorum scandalum dissolutam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, eundem Episcopum moneas attentius & inducas ut sedi apostolicæ omnimodam obedientiam & reverentiam studeat exhibere, vitam & mores suos in melius commutando, prout gravitas officij pontificalis exposcit. Si vero monitis tuis acquiescere forte contempserit, tu, ipso ab Ecclesiæ suæ cura prorsus amoto, facias eidem Ecclesiæ de persona idonea sublato appellationis obstaculo canonicè provideri. contradictores vel rebelles per censuram ecclesiasticam monitione præmissa compescens. Datum Viterbij XIV. Kal. Octobris, anno decimo.

Epist. 128.
Scribit ei ut
Episcopum Kephalonie reducat
ad obedientiam
sedi apostolicæ.

EPISCOPO PLACENTINO.

Nostrum noveris apostolatus intimatum quod cum inter dilectos filios Cardinalem civem Ianuensem & I. filium

Epist. 129.
Vt monasterium de Patramarina cogat

K